

sunt, quæ majorem adhuc lucem desiderant, tùm, quod planè de iis sileant Leges Imperii, tùm, quod ob utriusque partis contradictionem ea adhuc sint in incerto. Nobis hîc mediâ placet incedere viâ.

§. 2.

Inter Majestatica Augustissimi nostri Imperatoris Jura absque dubio hodieque suprâ tamen allatâ cum limitatione connumerandum erit Jus decernendæ Executionis contrâ immediatos Cives Imperii, quò Is fruitur I. quando in præstandis Imperii Collectis hi sunt morosi. Etenim cum ex novissimi Recessus sanctione, si Collectæ sint Ordinariæ, uti sunt, quæ e. g. penduntur ad Imperii Cameram sustentandam, & eas solvere Status neglexerint, decernantur in Camerâ mandata sine clausulâ, quibus *den Granz=auschreibenden Fürsten* Executio injungitur (1); cùm & si sint Extraordinariæ Imperii Collectæ, Fiscali in Camerâ contrâ morosos Processus concedantur, tandemque itidem ad *die Granz=auschreibende Fürsten* de Sententiâ exsequendâ rescribatur, (2) clarum est, utroque in casu sine omni dubio Imperatoris nomine decerni, quippe cujus solius nomine Imperii Camera agenda peragit. (3)

(1) *Vid. §. sq.*(2) *Conf. eund.*(3) *Vid. §. 7. hujus Capituli.*

§. 3.

Nec tamen & hodiè circa Executionem hujusmodi decretionem liberum est Imperatoris arbitrium, quin potius id Imperii Legibus, nostris præsertim temporibus ita est circumscriptum, ut non ad alios, nisi ad eos, qui sunt *die Granz=auschreibende Fürsten*/aut pro ne natâ, Circulorum Duces Mandata Executorialia possit emittere, ceu in specie de Executione Imperii Recessuum quatenus agunt de præstandis Imperii Collectis sequens docebit paragraphus.